

bene. tenerior enim est affectus, quam ut occultari queat, imprimis si oratione tangatur. hinc est, quod, cum forte Nutrix mentionem Hippolyti fecisset, statim illa exclamet, v. 310. οἶμοι! Ἀπάλεσάς με μάϊα. Deinde quum amorem suum Nutrici conatur indicare, quanto id pudore facit? primo enim ex prioribus, ubi de amoribus matris & sororis conquesta erat, Nutricem vult colligere, qualis sit amor suus, dum dicit, v. 345.

Πῶς αἴ σ' μοι λέξῃς, ἀμ' ἐχρῆν λέγειν;

post interrogat,

Ὅς τίς ποθ' ἔτος ἔσθ' ὁ τῆς Ἀμαζόνος;

deinde addit, modo ne ipsa hæc confessa videatur;

σὺ τὰδ', ἐκ ἐμῶ κλύεις

Præterea pulchre in ea expressit ἡθῶς desperantium, qui, cum certi sunt de morte sibi inferenda, sedatiores fiunt, ne, si furere pergant, à suis nimis observentur, & in opere ipso impediuntur, quod imprimis in *Didone Virgiliana* videre licet. Ita Phædra, postquam satis cum Nutrice litigasset, ob eventum infelicem, & proditorem amoris sui, tandem dicit, v. 706.

Πᾶσαι λέγουσι,

&

Ἄλλ' ἐμποδῶν ἀπελθε, καὶ σαι τῆς πέρι

φρόντιζ'. ἐγὼ γὰρ τίμὰ θήσομαι κακῶς.

Deinde ad chorum conversa obstringit sibi eius fidem iureiurando, quo tamen non opus fuisset, additque se remedium huic malo invenisse, quo & ipsa juvetur, & liberi sui, mortem nimirum spontaneam. Quia vero semper gloriæ cupida erat, ideo scelus omne in Hippolytum detivare conatur, ut ipsa honestius mori possit, quod non obscure minabatur v. 728. Sed redeamus jam ad *Senecam*. Oratio Hippolyti longe est præstantior ea, quæ est apud Euripidem. non enim tantum sibi temporis sumit, ut otiose nugetur, & in genus muliebri invehat, sed qua erat pietate & castitate, advocabat Deum iudicem, v. 668.

Magne Regnator Deum

Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?

& quæ sequuntur, omnia digna, & pietate, & indignatione Hippolyti. quin & in quibus Euripidem imitari voluit, superavit. Nam cum ille dixisset v. 654.

πῶς